



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Prima Controversia. An assumptio sit actio tantum vnitiua humanitatis ad
Verbum, vel sit etiam animæ creatiua, & humanitatis productiua?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

homo dicat primò terminum substantialem: secundariò tamen dat intelligere relationem inter suppositum filij Dei & humanam naturam, prout dicta relatio est in facto esse. Cum enim dico: Filius Dei est homo, sensus est, filius Dei habet substantialem & consequenter etiam relatiuam vnionem cum humana natura: adeò, vt prior vnio significetur expressè, posterior autem vt ex priori consequens insinuetur; & ita vnitum secundum vtramque vnionem de vniente prædicetur. Quod non obscure colligitur ex D. Th. in 1. præc. ad 3. addita expositione Cai. ait enim ibi S. D. *Quod homo dicitur creator, & est Deus propter vnionem, in quantum terminatur ad hypostasim diuinam.* Eadem autem ratione dici potest, quod Deus est homo propter vnionem, in quantum terminatur ad hypostasim diuinam, scilicet terminantem relationem realem vnionis ad ipsam: terminat autem, quatenus est vna personam cum humana natura, vt ibidem explicat Cai. Igitur vnitum, quatenus vtrique vnione vnitum est, (quod significatur hoc nomine, homo, vt est prædicatum tum in dicta propositione) de vniente prædicatur; assumptum autè de assumente non dicitur; quoniam assumptum oportet, vt assumptioni præexistat ordine nature; nulla verò persona diuina, aut natura est id, quod præexistit assumptioni: hoc enim est natura abstractè significata, quæ nec de persona, nec de natura diuina prædicatur.

Ad argum. igitur in forma respond. falsum esse antecedens, quo ad priorem partem: ad eius probationem negatur assumptum: ad cuius probationem negatur consequentia; quia nomine naturæ humanæ non significatur natura, vt in termino assumptionis, & vt in facto esse, quam tamen ita, scilicet vt in facto esse, & vt in termino assumptionis, significat hoc nomen, *homo*; & ideo rectè dicitur filius Dei est homo; nõ autem dici potest filius Dei est natura humana. Vbi aduerte cum Cai. dictum illud, *vnies est vnitum* intelligendum esse non vniuersaliter sed permissiue; quia scilicet permittitur aliquot vnies esse vnitum; si tamen significetur vnitum, vt in facto esse & vt in termino. Et ex his patet Suar. non planè assecutum fuisse doctrinam D. Tho. neque expositionem subtilissimam Caiet.

Mouet Cai. dubitationem circa dictum D. Th. in probatione tertiæ differentie inter assumptionem & vnionem: ait enim S. D. vnionem esse relationem æquiparantiæ; quod videtur falsum, primò quia relatio vnionis habet esse reale tantum in humana natura; in Verbo verò relatio rationis est. Secundò quia S. D. in 3. dist. 5. q. 1. a. 1. ad 2. ait; vnionem in rebus quidè creatis esse relationem æquiparantiæ sed nõ in creatore & creatura; quia non eodem modo se habent in vnione, sicut etiam (inquit) similitudo ordinatur in Deo ad creaturam secundum æquiparantiæ; quamuis in alijs sit relatio æquiparantiæ. Cui dubitationi satisfacit optime Cai. Cuius doctrinam sequitur Suar. in Com. & copiosè ac eruditè declarat.

Quartam dubitationem mouet Cai. circa respons. ad 3. vbi S. D. ait, assumptionem differre ratione ab vnione, & ab incarnatione seu humanatione. Querit ergo Cai. num ratione sola differat assumptio & vnio? Et resp. probat differre realiter. Quam doctrinam sequitur Suar. qui totam etiam explicat responsionem D. Thomæ.

PRIMA CONTROVERSIA.

An assumptio sit actio tantum vnitiua humanitatis ad Verbum, vel sit etiam anima creatiua, & humanitatis productiua?

VIDAM ex recentioribus affirmant assumptionem, siue Incarnationem esse quandam actionem altioris ordinis identificantem sibi creationem animæ Christi, & productionem humanitatis: adeò vt quemadmodum (inquiunt) forma superioris ordinis vnité præhabet ea, quæ in inferioribus sunt dispersa: sic assumptio, cum sit vna numero actio, simul sit animæ creatiua & humanæ naturæ productiua, & eiusdè ad Verbi personalitatem vnitiua; ita tamè vt ipsa quatenus vnitiua supponat se ipsam prout est humanitatis generatiua & animæ creatiua; sicut anima nostra vt rationalis supponit se ipsam sensituiam & vegetatiuam; & intellectio vt cognitio supponit se ipsam, vt dictio est. Sed Cai. hic & infra q. 6. a. 1. & ante eum Capr. in 3. dist. 6. q. ad 5. contra 1. concl. Alensis in sua tertia parte summa, q. 8. membrò 2. Scotus in 3. dist. 1. q. 1. Gabriel, & Ocham ibidem, & Dur. dist. 5. q. 2. docent, assumptionem humanitatis eius productionem, & animæ creationem esse actiones, non solum ratione sed etiam re ipsa distinctas. Quam sententiam sequitur & explicat Aluar. infra q. 6. a. 1. dist. 30. post 2. Concl. & eam tuentur alij recentiores Thomistæ. Quidam Iunior Thomista vir doctissimus affirmat creationem animæ Christi ad solam eius essentiam terminari; quoniam (inquit) impeditur & manet incompleta & accipit complementum ab alia actione simultanea, scilicet ab assumptione, qua trahitur ad esse personæ Verbi.

AD HUIUS Contr. definitionem notand. est Resoluit. primò, prædictas actiones dupliciter sumi posse: vno modo metaphysicè quatenus scilicet sunt Dei perfectiones, prout est agens in actu secundo: quo modo, cum sint idem, quod ipsa Dei substantia quæ vna est, nulla potest esse dubitatio, num sint plures vel vna tantum actio secundum rem: constat enim Deum in rebus omnia operari vna simplicissima actione, quæ eius substantia est: Alio modo possunt sumi physice, prout scilicet aliquid ponunt in re producta, vt explicauimus in 1. p. q. 25. a. 1. & q. 45. a. 3. sic autem sunt veluti passionēs se tenentes ex parte terminorum.

Secundò obseruand. est, in hac difficultate aliâ maioris ponderis implicari, videlicet an humanitas prius fuerit producta seu genita, quam assumpta; & similiter vtrum anima prius creata fuerit, quam assumpta: Nam si creatio ab assumptione distinguitur, cum sit vera actio, propriū etiam habet terminum ea productum priorem assumptione, & eius termino: proprius verò & formalis terminus creationis est esse creatū; igitur anima & eadem ratione etiam humanitas prius habuit esse & subsistere creatum, quam fuerit ad Verbi personalitatem assumpta. Consequens autem hoc absurdum est tam simpliciter quam in doctrina D. Th. ergo.

Tertiò notand. est, actiones specie & ratione formali distingui ex proprijs eorum terminis, ad quos per se primo ordinantur, vt ait S. D. in 1. p. q. 77. a. 3. & 1. dist. 17. q. 1. a. 4. & in 2. dist. 7. q. 2. a. 4. & alibi sæpè: formalis igitur & specifica distin-

sententia
doctrinam.

Quæstij ex
positio rei
ciur.
Tertia Du-
bitatio circa
vltimā dif-
ferentiam.

fol.

Quarta du-
bitatio.

fol.

Ostenditur
assumptionem
ab animæ
creatione
humanita-
tis produ-
ctam, non
solum for-
maliter sed
etiam realiter
esse distin-
ctam.

distinctio, si qua reperitur inter animæ Christi creationem, humanitatis generationem & eius assumptionem, ex earum obiectis seu terminis est accipienda: terminus autem creationis animæ est anima ipsa, ut habens esse de nouo in rerum natura: generatio verò humanitatis ad ipsam humanitatem, ut existentem in his carnibus & ossibus terminatur: assumptionis autem illius terminus formalis est persona Verbi, quatenus humanitati suam communicat subsistentiam; totalis verò terminus est esse substantiale in compositione consistens, scilicet Deum esse hominem, siue Christus ut persona composita: constat autem hos terminos, non solum formaliter, sed etiam realiter esse distinctos; igitur actiones etiam ad eos ordinatæ formaliter & specificè distinguuntur. Quod his etiam argumentis probatur. Primo; quia creatio est actio Dei ut agentis naturalis, generatio etiam humanitatis ex parte Virginis matris est naturalis: illa quidē ex nullo subiecto; hæc autem ex materia præsupposita: assumptio verò seu incarnatio formaliter est actio supernaturalis; igitur formaliter & specificè distinguuntur. Secundo; quoniam alias creatio animæ & generatio humanitatis nostræ essent actiones specie distinctæ à creatione animæ Christi & productione humanitatis ipsius: consequens est erroneū; ergo. Consequentia probatur: quia creatio animæ & productio humanitatis nostræ specie distinguuntur ab assumptione seu Incarnatione; ergo etiam distinguuntur specie à creatione animæ Christi & productione humanitatis illius. Probatur illatio; quia secundum oppositam sententiam, quam impugnamus, hæc duæ actiones sunt idem formaliter cum assumptione: falsitas autem consequentis, quo ad creationem patet ex D. Th. *infra* q. 6. a. 3. Vbi docet, animam Christi fuisse creatam creatione eiusdem rationis cum creatione animarum nostrarum; Quo ad productionem autem humanitatis patet; quia tam in nobis quam in Christo resultat per generationem terminus formalis eiusdem rationis, scilicet humanitas ut producta; ergo.

Quartò sciendum est actiones omnes transeuntes physice sumptas idem esse realiter cum suis terminis totalibus & adæquatis: ut probatur *in tertio phys.* igitur tres etiam actiones prædictæ eadem erunt realiter cum suis terminis, scilicet creatio cum anima, generatio humanitatis cum ipsa humanitate, & actio assumendi cum esse substantiali composito, quod ex Incarnatione resultat. Cum itaque tres dicti termini sint ab inuicem distincti realiter; eodem etiam modo distinguuntur actiones ad eos ordinatæ. Sed probatur validioribus argumentis, tres dictas actiones distingui realiter. Primò; quoniam ea quæ possunt ab inuicem separari, sunt distincta realiter; at actiones istæ possunt ab inuicem separari; ergo. Maior patet. Minor probatur: quia creatio animæ potuit esse sine productione humanitatis, & utrumque horum potuit inueniri sine assumptione, sicut de facto inueniuntur in nobis; similiter assumptio humanitatis ad Verbi subsistentiam potuit inueniri separata, & non simultanea cum animæ creatione & productione humanitatis: Quia potuit Verbum assumere animam multò tempore ante creatam, & humanitatem antea productam. Confirmatur; quia creatio animæ & productio humanitatis sunt actiones naturales, quo ad substantiam; assumptio verò, quo ad substantiam est supernaturalis; sed actiones, quarum altera est supernaturalis, distinguuntur realiter; ergo. Secundo probatur

A idem; quia creatio nostrarum animarum & vnio earum ad corpora sunt actiones distinctæ realiter, ergo etiam creatio animæ Christi, & vnio eius ad Verbum distinguuntur realiter. Consequentia patet; quia magis distant creatio animæ Christi, & vnio eius ad Verbum, quam creatio animarum nostrarum, & vnio earum ad corpora. Vltimò probatur; quia B. Virgo concurrit ad productionem humanitatis ut causa principalis, & tamen non concurrit ad creationem animæ, neque ad vnionem eius cum Verbo; ergo. Maior patet; quia concursus matris est concursus causæ principalis: Minor verò, quo ad primam partem probatur; quia nulla creatura potest concurrere ad creationem etiam instrumentali-
B taliter, ut probat S. D. *in 1. p. q. 45. a. 5.* quo ad secundam verò probatur; quia vnio humanitatis cum Verbo est actio supra totum ordinem naturæ, & gratiæ; ergo nulla creatura potest ad eam efficiendam concurrere.

Quintò notand. est, tam creationem animæ Christi, quam assumptionem eius dupliciter posse considerari: vno modo in fieri: alio modo in facto esse: prout scilicet intelligitur perfectè terminata. Et creatio quidem animæ in fieri causâ quodammodo est assumptionis in genere causæ materialis; quoniam, ut hic ait S. D. assumptio est alicuius ad se sumptio: igitur res assumenda, saltem in fieri, prior est assumptione in genere causæ materialis; assumptio verò ut actu terminata prior est in eodem genere causæ animæ creatione: quoniam assumptio terminatur ad Verbi subsistentiam, quæ prior est existentia in genere causæ materialis; cum sit constitutiva suppositi; quod est existentia receptiuum: & idē prius animæ & humanitati communicatur, quā existentia. Cum igitur animæ creatio terminetur ad existentiam, erit ut sic terminata posterior natura, id est causalitate materiali ipsa assumptione, ut actio completa & terminata. Neque absurdum est, eandem rem aut actionem secundum diuersas rationes esse altera priorem & posteriorem in eodem genere causæ, præsertim materialis & finalis, ut *supra* a. 3. declarauimus. Creatio igitur animæ Christi in fieri præsupponitur assumptioni, tã in fieri quam in facto esse considerata: è contra verò assumptio ut in facto esse siuè in termino, præintelligitur ac præsupponitur creationi in facto esse: sicut etiam intellectus & dictio, quæ sunt actiones intellectus sola ratione distinctæ, se inuicem diuersa ratione præcedunt, & sequuntur, ut explicauimus *in 1. p. q. 27. a. 1.* nam intellectus ut in fieri prior est dictione, quæ est productio Verbi, siuè hæc sumatur in fieri siuè in facto esse; sed dictio in facto esse, id est prout iam est completa Verbo producta, tanquam termino, prior est intellectione ut in termino; quoniam omnis intellectus fit in Verbo dictione producta, tanquam in termino & in obiecto ad intra.

Ex quibus sequitur primò, propositionem hanc simpliciter esse falsam, videlicet: *Anima Christi prius fuit creata, quam assumpta*; quia dictiones illæ *creata*, & *assumpta* significant actiones, ut completas & terminatas. Secundo sequitur hæc esse verâ: *anima Christi prius fuit assumpta, quam creata*; Nam, ut diximus, assumptio ut in termino præintelligitur creationi ut terminata. Tertio sequitur, hæc esse veram: *anima Christi prius creata, quam assumatur*. Probatur; quia per hæc verba, *creatur & assumitur*, significantur actiones ut sit fieri. Iam autem diximus, creationem, ut in fieri priorē esse assumptione, ut est in fieri. Ut enim

vera

vera sit hæc propositio, non est necesse, vt anima prius quam assumatur, habeat existentiam, nisi præuenta fuisset ab existentia Verbi per assumptionem animæ communicata: sic enim factum est vt inchoato & nondum terminato creationis actu superueniens assumptio communicauerit animæ Verbi subsistentiam & existentiam, ad quam non vt productam, sed vt animæ communicatam posset animæ creatio terminari. *Postremo patet solutio rationis dubitandi.*

Conclusiones deductæ, & probatæ
PRIMA CONCL. *Actiones prædictæ scilicet assumptio humanitatis ad unitatem Verbi personalem, productio humanitatis, & creatio animæ non rationibus tantum formalibus, sed etiam realiter ab invicem distinguuntur.* Hæc conclusio, quo ad vtramque partem patet ex dictis in tertio, & 4. notabili, &c.

SECUNDA CONCL. *Absolute loquendo: anima Christi prius fuit assumpta, quam creata.* Hæc patet ex ultimo notabili.

TERTIA CONCL. *Anima Christi prius creabatur, quam assumeretur.* Hæc patet ex eodem notabili.

Argumenta, & solutio
CONTRA primam Concl. produci possunt hæc argumenta. Primum: S. S. Patres expressè docent ipsam assumptionem esse actionem animæ creatiua & humanitatis generatiua seu productiua; ergo tres dictæ actiones sunt vna actio realiter, aut etiam formaliter eminenter. Antecedens probatur; quoniam August. lib. de fide ad Petrum c. 17. ita loquitur: *Dicimus, ipsum Verbum sua carnis acceptione conceptum; ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam.* Et eadem forma loquendi vtuntur Greg. lib. 9. Epist. epist. 61. Leo Papa Epist. 11. ad Iulianum. Et Fulg. lib. de Incarn. & gratia cap. 3. ergo. Respond. falsum esse antec. ad cuius probationem respondetur primò locutionem illam S. S. Patrum intelligendam esse per actionum concomitantiam: quoniam tres illæ actiones in eodem simul instanti temporis existerunt, vt probat Sa. D. infra q. 33. a. 3. Secundò respond. creationem animæ & productionem humanitatis Christi assumptionis nomine à Patribus appellari; non quia sint assumptio formaliter; sed quia complentur per assumptionem.

Secundum argum. quo etiam vitur Fulgentius loco notato est: quia sequeretur, B. Virginem nõ concepisse, neque genuisse Deum: at consequens est hæreticum; ergo. Sequela probatur; quia si conceptio & generatio sunt actiones ab assumptione distinctæ & illi præuiae, consequens esset vt conceptio & generatio ad solam humanitatem completè terminetur prius natura quam humanitas assumatur à Verbo & illi personaliter vnatur; ergo non terminaretur ad Deum; ac proinde B. Virgo neque concepisset neque genuisset Deum. *Confirmatur:* quoniam, exempli gratia, si ignis alia actione produceret calorem, & alia vniret illum subiecto, non produceret calidum ea actione, qua producit calorem; ergo si alia actio fuit humanitatis productiua scilicet generatio, & alia illius ad Verbum vnitiua scilicet assumptio, B. Virgo quæ solùm formauit humanitatem, non genuisset Christum: probatur hæc consequentia; quia B. Virgo non habuit actionem vnitiuam, sed tantum generatiuam humanitatis, quæ secundum nostram conclusionem fuit ab assumptione distincta. *Respond.* nullam esse consequentiam: Nam vt Beata Virgo sit verè mater & genitrix Dei, satis est vt humanitas Christi in eodem instanti fuerit ad unitatem Verbi personalem assumpta, in quo fuit eiusdem humanitatis conceptio terminata. Cu-

A ius ratio est; quia concipi & generari proprium est suppositi subsistentis in natura; suppositum autem pro illo instanti in humanitate subsistens erat ipse Deus. Vnde etiam Iudæi, vt ait Bernardus in sermone de passione, fuerunt Deicidæ & verè ac propriè Deum occiderunt: quia licet eorum actio fuerit per se primò ad dissoluendam vnionem partium humanitatis Dei terminata, tamen quia humanitas illa in instanti in quo patiebatur à Deis, erat ipsius Dei tanquam suppositi; & passiones sunt suppositorum: ideo passio verè & propriè terminabatur ad ipsum Deum, ad quem minimè terminaretur, si humanitas in illo instanti fuisset à supposito Verbi dimissa. Similiter itaque Beata Virgo verè ac propriè dicitur Deum concepisse & genuisse: quoniam in eodem instanti in quo terminabatur conceptio & generatio ad humanitatem Christi, vt ad terminum formalem, erat humanitas à Deo personata; & cum actiones sint suppositorum consequens fit, vt ad ipsum etiam Deum terminaretur. Quod fieri minimè potuisset, si humanitas in illo instanti nondum à Verbo fuisset assumpta. *Ad confirm. dico, ante-*

B cedens dupliciter intelligi posse: Vno modo, vt ignis producat calorem actione quæ ex natura sua fit vnitiua illius ad subiectum in eodem instanti; & ita falsum est antecedens: alio modo, vt productio caloris non sit ex natura sua vnitiua illius ad subiectum: & tunc admisso antecedente negatur consequentia: nam vt ignis dicatur producere calidum, sufficit vt producat calorem actione de se vnitiua illius ad subiectum, licet virtute diuina impediretur, ne vniret illum subiecto; dummodo talis calor per aliam actionem vniretur alicui subiecto in eo instanti, quo producit ab igne; & similiter in proposito; quia generatio qua B. Virgo formauit humanitatem Christi, ex natura sua erat vnitiua humanitatis ad proprium & connaturale suppositum, quæ tamen virtute ab hac vnione fuit præuenta & impedita, & in eodem instanti fuit vnita supposito diuino; ideo hoc sufficit vt B. Virgo dico dicatur Deum genuisse & esse Mater Dei.

Tertium argum. est: Eadem actione produci-
tur humanitas nostra & terminatur propria subsistentia; ergo etiam eadem actione producta fuit humanitas Christi & vnita personæ Verbi: igitur assumptio est eadem actio cum generatione humanitatis. *Resp.* nullam esse conseq. quia nostra humanitatis generatio non est impedita neque incompleta, ita vt per aliam actionem simultaneam sit complenda: generatio verò humanitatis Christi fuit impedita à naturali sua efficacia, circa propriam personalitatem & incompleta mansit in se, & vt in via ad personalitatem illi communicandam, quæ illi de facto comunicauit assumptio simultanea.

E *Quartum argum. est:* Creatio animæ Christi est actio, per quam accepit esse; sed accepit esse per assumptionem; ergo Minor probatur dupliciter; primò; quia anima Christi non habuit nisi esse diuinum, Vt probat S. D. infra q. 17. sed hoc esse accepit per assumptionem; ergo. Secundò quia eadè actione tribuitur humanitati Christi personalitas, per quam efficitur existentia capax, & ipsa essentia, sicut nostra humanitas per eandè actionem suscipit existentiam & personalitatem, per quæ efficitur capax existentia: sed humanitas Christi per assumptionem accipit personalitatem; ergo. *Resp.* creationem esse actionem, per quæ res creata accipit esse productum per ipsam creationem,

tionem, quando est completa & non impedita, & terminus illius producitur suo naturali modo: si autem creatio impediatur & maneat incompleta, accipiens complementum ab alia actione simultanea, qua res producta trahitur ad alienam subsistentiam; ac proinde etiam ad esse alienum: tunc creatio neque producit esse neque ad illud per se & immediate terminatur; sed alia superioris ordinis actione media, qua scilicet natura assumitur ad alienum suppositum & ad alienum esse; per hanc enim actionem fit, ut creatio humanitatis terminetur ad esse, quod in eodem instanti temporis per assumptionem communicatur humanitati: Non enim placet eorum solutio, qui dicunt creationem animae Christi ad solam essentiam fuisse terminatam; ut enim ostendimus in 1. p. q. 3. a. 4. rerum essentiae, tam in vniuersali, quam in particulari sunt aeternae, & a nullo agentis actione dependent: igitur praecise sumptae nullius possunt actionem agentis terminare.

Obiectio 5. *Vltimum argum.* est: Anima Christi per actionem, qua fuit à Deo creata, diuinam habuit subsistentiam, sed hanc habuit per assumptionem; ergo. Maior probatur; quia S. Th. 1. p. q. 45. a. 4. docet creationem terminari ad rem subsistentem; ergo si anima Christi diuinam habuit subsistentiam, illam habuit ex vi creationis. *Confirmatur:* quoniam humanitas Christi ex eiusdem actionis vi fuit producta, ex cuius vi fuit productus totus Christus: sed totus Christus fuit productus per vnionem; ergo. Minor patet; quia terminus totalis & qui assumptionis suae actionis vnitiuae per eam productus, fuit persona Christi ut ex duabus naturis composita. *Resp.* falsam esse maiorem: ad cuius probationem dico, quolibet creationem etiam animae Christi terminari ad rem subsistentem propria vel aliena substantia illi communicata: ad rem quidem subsistentem propria substantia terminatur ex vi eiusdem creationis, si non fuerit impedita creatio; Quod si fuerit impedita, tunc ad rem subsistentem aliena substantia ex vi actionis altioris ordinis simultaneae terminatur. Cum igitur creatio animae Christi fuerit impedita, ut ante diximus, licet fuerit ad animam subsistentem terminata: non fuit tamen productiua, vel communicatiua talis substantiae, sed solam animam produxit entitatem, & ad increatam subsistentiam & existentiam, ut formalem terminum media assumptione communicatum fuit terminata. *Ad confirmationem* dico, falsam esse maiorem: quoniam actio generatiua humanitatis fuit à productione sui vltimi termini praepedita; & ideo neque terminum totalem, qui Christus est, produxit, sed solam humanitatem, quae per simultaneam actionem ad Verbi diuini subsistentiam fuit eleuata.

Obi. cont. 2. concl. *CONTRA secundam conclusionem* est hoc argum. Assumptio est quasi ab alio ad se sumptio, ut ait S. D. in textu, & assumere est aliquid ad se sumere, ut ait idem S. D. *infra* q. 3. a. 1. ergo necesse est assumptioni praestelligi animam rationalem habentem esse per creationem. Et *confirmatur*, quia necesse est esse ordinem aliquem prioris & posterioris saltem secundum rationem inter animae creationem & eius assumptionem: at non videtur recte dici, eam fuisse prius assumptam quam creatam; ergo prius fuit creata quam assumpta: proprius autem & formalis terminus creationis est esse creatum; ergo anima Christi in illo priori rationis, in quo intelligitur à Deo creata, debet intelligi ut habens esse ac proinde

etiam subsistere creatum. *Resp.* nullam esse consequentiam, ut iacet sed tantum sequitur, animam rationalem ante assumptionem concipiendam esse, ut in creari & fieri. *Ad confirmationem* *ad conf.* patet ex vltimo notabili varius ordo prioris & posterioris inter creationem animae Christi & eius assumptionem.

SECUNDA CONTROVERSIA.

An actio assumendi & vniendi naturam humanam supposito diuino aliquem habeat terminum substantialem, & quid sit hic terminus?

PRIMA sententia est Scoti in 3. dist. 1. q. 1. a. 3. *Sententia* quam duabus conclusionibus explicat Rada *in sua tertia parte, Controversia tertia, a. 4.* Prima quae est apud eum quinta Concl. est: Id quod in humanitate primo & immediate fit per actionem vnitiuam, est vnio humanitatis cum Verbo, quae in humanitate est relatio realis actualis dependentiae ad Verbum, tanquam ad suppositum ipsam sustentans ac suppositans. *Secunda* eiusdem conclusio: Terminus vltimus actionis vniendi est Christus; à quo denominatur vnio substantialis.

Secunda sententia est Val. *puncto 5. prope finem* dicentis vnionem sumi posse tribus modis. *Primo* pro relatione dependentiae naturae humanae à Verbo. *Secundo* pro vnitate personae, in qua vtraque natura vnitur. *Tertio* pro ipsa coniunctione substantiali secundum dependentiam humanitatis à Verbo, ut à termino personali: & his omnibus modis esse terminum assumptionis: sed tamen duobus posterioribus modis esse terminum immediatum: primo verò modo mediatum; quia relatio consequitur ex vnitate personae Christi & coniunctione duarum in eo naturarum.

Tertia sententia est quorundam recentiorum asserentium, terminum assumptionis totalem esse personam Verbi ut compositam; suae Christum ut sic; terminum autem formalem esse humanitatem ut personam personalem Verbi.

Quarta sententia est Cai. qui duo dicit: *Primum* est: assumptio secundum rem habet pro termino suo (scilicet adaequato) propriissimum loquendo ens absolutum, super quod fundatur relatio vnionis; & hoc ens absolutum non est persona filij Dei sola, non haec natura humana sola, sed filium Dei esse hominem. *Secundum* est: Loquendo de termino assumptionis, ut importatur in vocabulo assumendi, natura humana est ut terminus à quo, & persona diuina ut terminus ad quem, ut ait S. D. in textu, quam sententiam non obscure significat Capr. in 3. dist. 15. q. 1. Vbi docet, terminum formalem assumptionis esse personam Verbi, ut vnitam humanitati. Eandem sententiam sequuntur alij Thomistae & expositores D. Th. Med. in hoc, & in praecedenti. Astur. q. 7. pag. 863. Suar. disp. 7. & 8. Vasq. disp. 19. & Aluar. disp. 13. Quamuis eorum aliqui à Cai. & alijs in quibusdam non magni momenti dissident. Ex quibus Med. *super art. praed.* relatis tribus opinionibus de fundamento relationis, quae est vnio, ait probabilior esse sententiam Cai. dicentis in eodem a. quod vnitas personalis filij Dei in vtraque natura est causa & fundamentum dictae relationis. Vasq. in *allegata disp. cap. 2.* ait, terminum formalem assumptionis esse ipsam humanitatem, seque neminem haec legisse neque audisse, qui diceret terminum